Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

datum. commouere et te contra me non potuisse. meque in tua inclinatum quam
nulla tenus debebatur. Sentisne igitur te periurii iusticia esse uinctum? Con-
firmasti michi sane te ipsum nunquam italiam ingressurum. Vitam tamen sic ei quam te michi
perdidit promisi concedam. oculos uero non solum tibi auferre iubeo. sed compello.
His expletis ludewicus lumine priuatus est. et beringarius regno po-
titur. Vngarorum interea rabies, quia saxones. francos. sueuos. baua-
rios nequibat. totam per italiam nullis resistentibus dilatatur. Verum quia Hungari
beringarius firmiter suos milites fideles habere non poterat. amicos sibi
ungarios non mediocriter fecerat. Sed et sarraceni qui sicut dixi fraxene-
tum inhabitant. post labefactionem prouincialium. quasdam summas italie
partes sibi uicinas non mediocriter laniabant. adeo ut depopulatis
plurimis urbibus aquas uenirent. que est ciuitas .xl. ferme miliariis
papia distans. que et propter thermas muro in tetragonum miro ad lauandum
ibi constitutas. uocabulum huiuscemodi sortita est. Tantus enim timor in-
uaserat uniuersos. ut nullus esset. qui horum presentiam nisi forte munitis-
simis prestolaretur in locis. Eodem tempore sarraceni ab africa ratibus
exeuntes. calabriam. apuliam. beneuentum. romanorum et pene omnes
ciuitates ita occupauerunt. ut unamquamque ciuitatem. mediam roma-
ni obtinerent. mediam africani. In monte quippe gareliano mu-
nitiones constituerant. in quo uxores paruulos captiuos. omnemque
suppellectilem. satis tuto seruabant. Nemo et ab occasu siue
ab arcturo. orationis gratia ad beatissimorum apostolorum limina. romam
transire poterat. quin ab his aut non caperetur. aut non modico dato precio
dimitteretur. Quamuis enim misera italia multis ungarorum et ex
fraxeneto sarracenorum cladibus premeretur. nullis tamen furiis aut
pestibus sicut ab africanis agitabatur. Fertur autem hac occasione ab a-
frica exiuisse. atque italiam aduentasse. Leone atque alexandro
imperatoribus augustis hominem exeuntibus. romanus ut lacius dicturi sumus
cum constantino qui nunc usque superest leonis filio. constantinopolitanum re-
gebat imperium. Et sicut fieri assolet. primo quidem romanus suscepit imperium an